

**C.A.P.E.S.**  
**CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

**APRES LA VICTOIRE SUR LES MACEDONIENS, UN ROMAIN VEUT S'OPPOSER A CE QU'ON DECERNE LE TRIOMPHE A PAUL-EMILE**

Ser. Galba repente processit et a tribunis postulauit, ut, quoniam hora iam octaua diei esset, nec satis temporis ad demonstrandum haberet, cur L. Aemilium non iuberent triumphare, in posterum diem differrent et mane eam rem agerent : integro sibi die ad causam eam orandam opus esse. cum tribuni dicere eo die, si quid uellet, iuberent, in noctem rem dicendo extraxit referendo admonendoque exacta acerbe munia militiae(\*) ; plus laboris, plus periculi, quam desiderasset res, iniunctum ; contra in praemiis, in honoribus omnia artata ; militiamque, si talibus succedat ducibus, horridiorem asperiore<que> bellantibus, eandem uictoribus inopem atque inhonoratam futuram. Macedonas in meliore fortuna quam milites Romanos esse. si frequentes postero die ad legem antiquandam adessent, intellecturos potentis uiros non omnia in ducis, aliquid et in militum manu esse. his uocibus incitati postero die milites tanta frequentia Capitolium compleuerunt, ut aditus nulli praeterea ad suffragium ferendum esset. intro uocatae primae tribus cum antiquarent, concursus in Capitolium principum ciuitatis factus est, indignum facinus esse clamitantium L. Paulum tanti belli uictorem despoliari triumpho : obnoxios imperatores tradi licentiae atque auaritiae militari. iam nunc nimis saepe per ambitionem peccari ; quid, si domini milites imperatoribus imponantur ? in Galbam pro se quisque probra ingerere. tandem hoc tumultu sedato M. Seruilius, qui consul et magister equitum fuerat, ut de integro eam <rem> agerent ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem facerent. tribuni cum ad deliberandum secessissent, uicti auctoritatibus principum de integro agere coeperunt reuocatosque se easdem tribus pronuntiarunt, si M. Seruilius alique priuati, qui dicere uellent, dixissent.

(\*) Tite-Live a écrit plus haut : « *Paul-Emile avait soumis ses soldats à une discipline à l'antique ; du butin, il leur avait donné une part plus parcimonieuse que celle qu'ils avaient espéré se voir attribuer sur les richesses si abondantes de Persée : si l'on s'était plié à leur avidité, ils ne lui auraient rien laissé à rapporter dans le trésor public.* »